

EPISTULA

*Autorisation
de
publication*

¹M. FABIVS QVINTILIANVS TRYPHONĪ SVŌ SALŪTEM. Efflāgitāstī, cōtīdiānō convīciō, ut librōs quōs ad Mārcellum meum dē īnstitūtīōne ōrātōriā scrīpseram jam ēmittere inciperem. Nam ipse eōs nōndum opīnābar satis mātūrisse, quibus compōnendīs, ut scīs, paulō plūs quam biennium, tot aliōquī negōtīs districtus, inpendī. Quod tempus nōn tam stilō, quam inquīsitiōnī operis prope īfnītī, et legendīs auctōribus, quī sunt innumerābilēs, datum est.

*Quantum
temporis se
inpendisse hīs
compōnendīs*

²Ūsus deinde Horātī cōnsiliō, quī in *Arte poētīcā* suādet nē prācipitētur ēditiō « nōnumque premātur in annum », dabam hīs ōtium, ut refrīgerātō inventiōnis amōre dīligentius repetītōs tamquam lēctor perpenderem. ³Sed sī tantoperē efflāgitantur quam tū adfirmās, permittāmus vēla ventīs et ōram solventibus bene precēmur. Multum autem in tuā quoque fidē ac dīligentiā positum est, ut in manūs hominum quam ēmendātissimī veniant. Valē.

*Permittere vēla
ventīs*

PROHEMIVM

*Utilité d'un
tel ouvrage*

¹Post impetrātam studiīs meīs quiētem, quæ per vīginti annōs ērudiendīs juvenibus inpenderam, cum ā mē quīdam familiārīter postulārent ut aliquid dē ratiōne dīcendī compōnerem, diū sum equidem reluctātus — quod auctōrēs utrīusque linguæ clārissimōs nōn ignōrābam multa quæ ad hoc opus pertinērent dīligentissimē scrīpta posterīs relīquisse. ²Sed quā ego ex causā faciliōrem mihi veniam meæ dēprecātiōnis arbitrābar fore, hāc accendēbantur illī magis : quod inter dīversās opīniōnēs priōrum et quāsdam etiam inter sē contrāriās difficilis esset ēlēctiō, ut mihi sī nōn inveniendī nova, at certē jūdicandī dē veteribus injungere labōrem nōn injūstē vidērentur.

*Cūr dē ratiōne
dīcendī
compōnere
oportēret*

³Quamvīs autem nōn tam mē vinceret prāstandī quod exigēbātur fidūcia, quam negandī verēcundia, lātius sē tamen aperiente māteriā, plūs quam impōnēbātur oneris sponte suscēpī — simul ut plēniōre obsequiō dēmerērer amantissimōs meī, simul nē vulgārem viam ingressus, aliēnīs dēmum vestigiīs īnsisterem. ⁴Nam cēterī fere quī artem ōrandī litterīs trādidērunt ita sunt exōrsī quasi, perfectīs omnī aliō genere doctrīnæ, summam manum impōnerent — sīve contemnentēs tamquam parva quæ prius discimus studia ; sīve nōn ad suum pertinēre officium opīnātī,

*Sē dēmissūrum
esse ad minōra
illa*

quando dīvisae professiōnum vicēs essent ; seu, quod proximum vērō, nullam ingeniī spērantes grātiā circā rēs etiāmsī necessāriās, procul tamen ab ostentātiōne positās — ut operum fastīgia spectantur, latent fundāmenta. ⁵Ego cum exīstimem nihil artī oratoriae aliēnum sine quō fierī nōn posse oratōrem fatendum est — nec ad ūllūs reī summam, nisi prācēdentibus initiīs, pervenīrī — ad minōra illa, sed quāe sī neglegās nōn sit mājōribus locus, dēmittere mē nōn recūsābō ; nec aliter quam sī mihi trādātur ēducandus orator, studia ējus fōrmāre ab infantiā incipiam.

⁶Quod opus, Mārcele Vītōrī, tibi dicāmus ; quem, cum amīcissimum nōbīs tum eximiō litterārum amōre flāgrantem, nōn propter hāc modo, quamquam sint magna, dīgnissimum hōc mūtuae inter nōs cāritātis pignore iudicābāmus, sed quod ērudiendō Getae tuō, cūjus prīma aetās manifestum jam ingeniī lūmen ostendit, nōn inūtilēs fore librī vidēbantur. Quōs ab ipsīs dīcendī velut incūnābulīs, per omnēs quāe modo aliquid oratorī futūrō cōferant artīs, ad summam ējus operis perducere festinābimus.

*Ērudiendō
Getae*

*La haute
ambition de
cet ouvrage*

⁷Atque eō magis quod duo jam sub nōmine meō librī ferēbantur *Artis Rhetoricæ* neque ēditī ā mē neque in hoc comparātī. Namque alterum sermōnem, per biduum habitum, puerī quibus id prāstābātur excēperant, alterum, plūribus sāne diēbus, quantum notandō cōsequī potuerant interceptum, bonī juvenēs sed nimium amantēs meī, temerārīō ēditiōnis honōre, vulgāverant. ⁸Quārē in hīs quoque librīs erunt eadem aliqua, multa mūtata, plūrima adjecta, omnia vērō compositiōra et quantum nōs poterimus ēlabōrāta.

*Hīs librīs
novam
ēditiōnem esse*

⁹Oratōrem autem instituimus illum perfectum, quī esse nisi vir bonus nōn potest, ideōque nōn dīcendī modo eximiam in eō facultātem, sed omnīs animī virtūtēs exigimus. ¹⁰Neque enim hoc concesserim : ratiōnem rēctae honestaeque vītæ, ut quīdam putāvērunt, ad philosophōs relēgandam — cum vir ille vērē cīvīlis et pūblicārum prīvatārumque rerum administrātiōnī accommodātus, quī regere cōsiliīs urbēs, fundāre lēgibus, ēmendāre iudiciīs possit, alius sit profectō quam orator. ¹¹Quārē, tametsi mē fateor ūsūrum quibusdam quāe philosophōrum librīs continentur, tamen ea jūre vērēque contenderim esse operis nostrī, propriēque ad artem oratoriam pertinēre.

*Ratiōnem rēctae
vītæ ad
philosophōs
haud
relēgandam*

¹²An, sī frequentissimē dē iūstitiā, fortitudīne, temperantiā, cēterisque similibus disserendum est, adeō ut vix ūlla possit causa reperīrī in quam nōn aliqua ex hīs incidat quāestiō, eaque omnia inventiōne atque ēlocūtiōne sunt explicanda, dubitābitur, ubicumque vīs ingeniī et cōpia dīcendī postulātur, ibi partēs oratoris esse prācipuās ?

*Ibi partēs
oratoris esse
prācipuās*

*Pourquoi il
faut viser
plus haut*

¹³Fuēruntque hęc, ut Cicerō apertissimē colligit, quemadmodum jūncta nātūrā, sīc officiō quōque cōpulāta, ut īdem sapientēs atque ēloquentēs habērentur. Scidit deinde sē studium ; atque inertia factum est, ut artēs esse plūrēs vidērentur. Nam, ut prīmum lingua esse cōepit in quāstū, īnstitūtumque ēloquentiā bonīs male ūtī, cūrā mōrum quī disertī habēbantur reliquērunt. ¹⁴Ea vērō dēstitūta īnfirmiōribus ingeniīs velut prāedā fuit. Inde quīdam contemptō bene dīcendī labōre ad fōrmandōs animōs, statuendāsque vītā lēgēs regressī, partem quidem potiōrem, sī dīvidī posset, retinuērunt ; nōmen tamen sibi īnsolentissimum adrogāvērunt, ut sōlī studiōsī sapientiā vocārentur. Quod neque summī imperātōrēs, neque in cōnsiliīs rērum maximārum ac tōtīus administrātiōne reī pūblicāe clārissimē versātī, sibi umquam vindicāre sunt ausī : facere enim optima quam prōmittere māluērunt. ¹⁵Ac veterum quidem sapientiā professorum multōs et honesta prācēpisse et, ut prācēperint, etiam vīxisse facile concesserim ; nostrīs vērō temporibus sub hōc nōmine maxima in plērīsque vitia latuērunt. Nōn enim virtūte ac studiīs ut habērentur philosophī labōrābant ; sed vultum, et trīstitiam, et dissentientem ā cēterīs habitum, pessimīs mōribus prātendēbant.

*Quemadmodum
scidisse sē
studium*

¹⁶Hęc autem quæ velut propria philosophiā adseruntur, passim tractāmus omnēs. Quis enim nōn dē jūstō, æquō ac bonō, modo nōn et vir pessimus, loquitur ? Quis nōn, etiam rūsticōrum, aliqua dē causīs nātūrālibus quærit ? Nam verbōrum proprietās ac differentia, omnibus quī sermōnem cūrāe habent, dēbet esse commūnis. ¹⁷Sed ea et sciet optimē et ēloquētur orātor : quī sī fuisset aliquando perfectus, nōn ā philosophōrum scholīs virtūtis prācepta peterentur. Nunc necesse est ad eōs [aliquando] auctōrēs recurrere, quī dēsertam, ut dīxī, partem orātorīæ artis, meliōrem præsertim, occupāvērunt ; et velut nostrum repōscere, nōn ut illōrum nōs ūtāmur inventīs, sed ut illōs aliēnīs ūsōs esse doceāmus.

*Repōscere
meliōrem
orātorīæ
artis partem*

¹⁸Sit igitur orātor vir tālis quālis vērē sapiēns appellārī possit, nec mōribus modo perfectus — nam id meā quidem opīniōne, quamquam sunt quī dissentiant, satis nōn est —, sed etiam scientiā et omnī facultāte dīcendī. Quālis fortasse nēmō adhūc fuerit... ¹⁹sed nōn ideō minus nōbīs ad summa tendendum est. Quod fēcērunt plērīque veterum, quī, etsī nōndum quemquam sapientem repertum putābant, prācepta tamen sapientiāe trādidērunt. ²⁰Nam est certē aliquid cōnsummāta ēloquentia, neque ad eam pervenīre nātūra hūmānī ingeniī prohibet. Quod sī nōn contingat, altius tamen ībunt quī ad summa nītentur quam quī, præsūptā dēsperātiōne quō velint ēvādendī prōtinus, circā īma substiterint.

*Ad summa
nītentur*

²¹Quō magis impetranda erit venia, sī nē minōra quidem illa, vērūm operī quod īnstituimus necessāria, prāterībō. Nam liber prīmus ea quæ sunt ante officium rhētoris continēbit. Secundō prīma apud rhētorem elementa, et quæ dē ipsā rhētoricēs substantiā quæruntur, tractābimus. ²²Quīnque deinceps inventiōnī (nam huīc et dispositiō subjungitur), quattuor ēlocūtiōnī, in cūjus partem memoria ac prōnūntiātiō veniunt, dabuntur. Ūnus accēdet in quō nōbīs orātor ipse īnfōrmandus est. Ubi quī mōrēs ējus ; quæ in suscipiendīs, discendīs, agendīs causīs ratiō ; quod ēloquentiæ genus ; quis agendī dēbeat esse fīnis ; quæ post fīnem studia : quantum nostra valēbit īnfirmitās, disserēmus.

Dispositiō

²³Hīs omnibus admīscēbitur, ut quisque locus postulābit, docendī ratiō quæ, nōn eōrum modo scientiā quibus sōlīs quīdam nōmen artis dedērunt, studiōsōs īnstruat — et, ut sīc dīxerim, jūs ipsum rhētoricēs interpretētur — sed alere fācundiam, vīrēs augēre ēloquentiæ possit. ²⁴Nam plērumque nūdæ illæ artēs, nimīæ subtilitātis adfectātiōne, frangunt atque concīdunt quidquid est in orātiōne generōsius. Et omnem sūcum ingeniī bibunt et ossa dētegunt — quæ ut esse et adstringī nervīs suīs dēbent, sīc corpore operienda sunt. ²⁵Ideōque nōs nōn particulam illam, sīcutī plērīque, sed quidquid ūtile ad īnstituendum orātōrem putābāmus, in hōs duodecim librōs contulimus — breviter omnia dēmōnstrātūrī. Nam sī quantum dē quāque rē dīcī potest persequāmur, fīnis operis nōn reperiētur.

Ratiō

²⁶Illud tamen in prīmīs testandum est : nihil prācepta atque artēs valēre nisi adjuvante nātūrā. Quāpropter eī cui deerit ingenium nōn magis hęc scrīpta sint, quam dē agrōrum cultū sterilibus terrīs. ²⁷Sunt et alia ingenita cuique adjūmenta : vōx, latus, patiēns labōris, valētūdō, cōstantia, decor. Quæ sī modica optigērunt, possunt ratiōne ampliārī, sed nōnnumquam ita dēsunt ut bona etiam ingeniī studiīque corrumpant ; sīcut hęc ipsa, sine doctōre perītō, studiō pertinācī, scrībendī legendī dīcendī multā et continuā exercitātiōne, per sē nihil prōsunt.

Dispositiō